Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1722)
Lisy 1422

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Februarii.

M. FRANCISCO VERNAGE, Doctore Medico, Præside.

An Vita Hominis à Sanguinis circuitu?

HOMINEM constituunt anima, corpus. Illa plena rationis & consilii, simplex, immortalis. malè ab traduci parentum animâ eruitur, ut materiæ, sic divisionis experte; producitur creatione solâ. Hoc vitalis machina variis partibus instructa summo elaboratis artificio, ad multiplicesque usus destinatis. Utrique commune vinculum affingunt nonnulli calidum innatum; quod animæ corporisque consors ac particeps naturas adversas intertjectu suo conciliat atque continet. quasi verò ut tenuissimum subtilissimumque fingatur originis suæ conditionem non servet. Corporis atque animæ conspiratio stat potissimùm voluntate divinâ, quâ sancitum est, ut quasdam animi perceptiones certi corporis motus, & vicissim quasdam corporis motiones certæ cogitationes mentis consequantur. Anima licet sit forma hominis, eaque unica, corpori non largitur vitam; cum priùs non infundatur, quàm partes latentes atque involutæ in semine explicatæ sint; quod ut fiat nutriatur principium fœtûs & crescat necesse est: quæ primæ sunt vitæ functiones sanguini accepæ. Et verò corpori jam viventi accedit anima, nam corporis vita infusionem exigit animæ, primæque conjuncti omis causa est; atque ut illud priùs vivit, quàm hæc ingrediatur: sic moritur antequam egrediatur; non enim extinguitur vita corporis propter discessionem animæ: sed contrà hujus discessio domicilii ruinâ contingit. Vitæ primordia ab sanguine. Humor ab utero stillans, unà cum succo intrà membranas involventes principium fœtûs contento, subit radices venæ umbilicalis, in quibus ut potè exilibus atque numero penè infinitis ambo succi exquisitè & intimè permiscentur, permixti fermentantur, non parùm adjuvante uteri incubantis calore. quâ qui dem naturali agitatione succorum particulæ novam figuram, novumque motum acquirunt, quibus purpùreum induunt colorem. Primi sanguinis in fœtu generandi nulla videtur brevior ac magis simplex via, nulla expeditior ratio, naturæque operanti magis consona. Hunc ideò conficiendo perperàm à cerebro deducitur supervacaneum fermentum. origo aliundè inexplicabilis, nisi placeat à spiritu repetere, qui (postquam fœtûs exordia fecundavit, ejusque reseravit stamina, uti succos reciperet quibus partes oculos fugientes sese darent in conspectum) in cerebrum tanquam in arcem integer se recepisset. At spiritûs hujusce vis semini fecundando, staminibusque dilatandis tota impenditur; ac si quæ supersit, sanguinem non efficit, è cerebro, ad has partes in quibus sanguis primùm conspicitur, cum nullatenùs penetrare possit ejus materiæ communicanda. Ut prima cruoris stilla producitur absque fermento spirituum: ita primum ejus circuitum sine spiritibus à cerebro defluis peragi verisimillimum est. Succorum continuò advenientium impulsu & fermentatione fluit cruor è radicibus venæ umbilicalis in truncum, è trunco in cor, è corde in arterias. Cordis & arteriarum primi motus ab hoc uno. ubi verò consendit cerebrum, illic particulas tenuiores relinquit, quæ glandulis excretæ per nervos fluunt in cor & arterias, quorum motus incitatiores reddunt ipsæ tenuitate mobilissimæ. Undè sanguis, qui antè spirituum influxum lentè partes irrigabat, jam num celeri ambitu & continuatione universum alluit corpus singulis ejus partibus vitam communicaturus.

VITAM corporis constituit sanguis, deinceps continuandam. Hominis vita ab eodem; actionum enim quibus illa stat, & cognoscitur omnium causa est. Hæ sunt aut materiæ compotes, aut omninò expertes. Perceptio, ratiocinium, reminiscentia, voluntas, sensus vulgò corpori attributus, ab animâ solâ. Concoctiones ciborum, nutritio, generatio, motus naturales, cæteræque id genus actiones ab corpore derivantur. Actionum corporis causa sanguis. Hic vitali calore, seu spiritu partes perfundit, variisque alluens irrigat succis, quibus ad agendum impelluntur. Hujusce, spirituumque motu, pro diversâ cujuslibet partis structurâ ac dispositione, variè determinato, corporis functiones perficiuntur. Quod si tàm concinnè producantur, tam aptè, tam ordinatè: non hoc in naturam intelligentem & providam, quæ partes regat, refundendum est; sed in partium coaptationem, figuram, contextum, quibus sanguinis spirituumque motus determinantur. Corporis naturam à partium, ex quibus componitur, structurâ, magnitudine, connexione, situ, motu nequaquam distingoi comperiet, qui rem æquâ lance, mente præjudiciis liberâ, seriò atque attentè examinabit ac perscrutabitur. Operationum mentis causa quoque sanguis; at dissimili planè ratione. Corporis quidem actiones producit, non animæ. materiæ exortes non oriuntur à re corporeâ. sed causa est instituta seu occasio tantùm, quæ mentem ad agendum determinat. Isthæc enim corpori consociata suas non exerit functiones, nisi præcedat spirituum animalium motus, quo ut plurimum excitatur ad cogitandum, aut saltem nisi ille comitetur, aut consequatur. Animales spiritus suppeditat sanguis; hoc enim in cerebrum sublato exstillantur, & per nervos in universum corpus diffunduntur, ut animi & corporis societatem & mutuum commercium foveant, in quo præcipua vitæ hominis ratio posita est.

SANGUIS partibus suis tenuioribus cum animam exciter, juvetque ad agendum, corporisque functiones producat: meritò naturæ thesaurus ac vitæ fons appellatur. Quod autem vitam tueatur & conservet, id ejus circulo debetur, quo producitur lenis veluti accensio quâ vivimus. Cruor ab excrementis repurgatus, attenuatus, divisus, atque excoctus vitæ officiis aptissimus fit: quod perficitur circuitu. Hoc namque assiduo & continuato motu per diversa viscerum cribra percolatur, in quibus excrementa deponit. In renibus à sero expurgatur, in hepate à bile, in pancreate ab aquâ lymphæ simillimâ, in aliis partibus ab aliis humoribus, omnibus alicui usui profuturis, liberatur. Lien succum melancholicum non excernit, ut hactenùs putarum est. Quis usus? obscurus adhuc & involutus. An sanguis morâ in vesiculis lienis fermenti naturam induit, aut potius ubertimo spirituum influxu novum acquirit vigorem? Humorum excretiones fiunt absque fermentis excernenti cuique parti insertis; molis sanguineæ motione intestinâ secreti percolantur. Errant qui credunt naturam vires insevisse iisdem partibus excretioni dicatis, quibus unaquæque eum, cujus desiderio tenetur, humorem proliciat. Nulla est partium illarum discreta vis ab structurâ, quâ humores non attractos, nulla enim est attractio, sed impulsos valent excernere: non quod iis delectentur, sed quod glandularum, ex quibus componuntur, pori transmittendis humorum particulis apti sint suâ cum illarum figurâ & mole convenientiâ. Circuitu sanguis fluorem servat; eodem partium istus æquabilis fit mistio, dissimiliumque facilis adhæsio arcetur vitæ inimica. Sic præparatus, blandèque accensus diffunditur in corpus universum, quod salutari calore recreat, novoque reparat alimento, dum meatus implet quos reliquerunt particulæ jugi fluxu dissipatæ; quin & cerebro nervisque partes subtiliores crebro itu & reditu in liquorem spirituosum evectas submisstrat, quibus anima & corpus suis muneribus defunguntur. Adeo ut sanguinis motu ex arteriis in venas, ex his rursùs in arterias vita hominis potissimùm contineatur.

CIRCUITU ritè præparatus sanguis, ab omnique excremento inutili repurgatus, ad vitam tuendam accomodatissimus est. Hunc ex corde erumpere in arterias, ex iis per venas ad cor refluere, præterquàm quod multa abundè probant experimenta, ipsius cordis arteriarumque fabricâ & motu evincitur. Cor musculus est fibrarum ordine duplici constans instar Cochleæ contortarum, atque in basim cordis ut in tendinem desinentium. Harum contractione contrahitur cor, ex ejusque ventriculis sanguis propellitur. Dilatant verò auriculæ, sanguinemque in cordis sinus exprimunt. Valvulæ, quæ utrique cordis venæ adhibentur, sanguinem admittunt, obstantque regressui velut linteæ expansæ, & ligamentis retentæ. Utrique tum magnæ, tum pulmonum arteriæ aliud valvularum genus aptarum est. exitum præbent sanguini ipsarum mucronem deprimenti. ubi vero remeat valvulam velut saccum implet, & coni figuram ei tribuit, viamque sibi intercludit. Arteriæ dilatantur & constringuntur. Sanguinis impetu fit dilatatio, contractio vi resiliendi fibrarum quibus cinguntur. In diastole, & in systole pellitur sanguis intrà arterias jugi impulsu; in diastole à corde, in systole ab arteriis, quarum tensæ membranæ dùm resiliunt, sanguinem ulteriùs propellunt. Ex hâc cordis, arteriarumque motu ac structurâ circuitus facilè deprehenditur. Ex venâ cavâ fluit sanguis in auriculam dextram, subjectumque ventriculum. contracto corde per arteriam pulmonum elabitur, tum per exiles venæ pulmonis ramos ipsius truncum subit, ac tandem sinum cordis sinistrum; ex quo in magnam arteriam, illiusque ramos rapidè fertur, & quaquaversùm diffunditur. Ab his regreditur in venulas arteriolis continuas, undè in ramos majores, deindè in venæ cavæ truncum, rursùsque in dextrum cordis sinum reportatur, adjuvante diaphragmatis, musculorumque motu, nec non aëre inspirato, qui revertentem ad cor sanguinem pellit eâdem, quâ ascensum aquæ intrà antlias promovet, resiliendi vi, quæ in eo constat, quod partes aëris convolutæ sese explicare nitantur. Hoc itu & reditu quandiù vitalis succus accenditur: tandiù anima retinetur in corporis domicilio, homoque vitâ fruitur.

CONSTANS est & rata sententia vitam calore actuosâ qualitate contineri, mortem ejusdem extinctione contingere. Hanc, quâ vivimus, flammam accendit, fovet & conservat sanguis crebrâ & jugi convertione ac gyro. Ab eo totus corporis calor ità emanat & proficiscitur, ut ejus accessione vel abscessione adducatur vel evanescat. Et quemadmodum stolida gravisque terra frigore contracta torpet, nisi solis æstivi radiis excitata luxuriet, ociosamque sterilitatem cum felici fecunditate commuret: sic immota rigeant membra omnia necesse est vitali humore destituta. Cujus præsentiâ collustrata calent, vigent, ad suaque actiones obeundas paratissima redduntur. Corpus non solum regit moderatuque sanguis dum circumfertur, nec salutaris tantum caloris ac perneccssarii, succorumque per fusione efficit, ut alimenta conficiat, iis nutriatur, augescat, procreet: sed & spiritibus, quos cerebro animæ sedi subministrat, corporis animique firmat communionem & consortium; non quod illi spiritus utrique affines & accommodati naturam corporis expertem cum corporeâ copulent, immortalem cum mortali; sed quod, sancitâ ab authore naturæ lege, spirituum motu velut occasione cogitationes animæ fuscitentur: cogitationibus pariter animi moveantur spiritus. Nullam enim aliam inter naturas quàm maximè dispares societatis rationem iniri posse perspectum ei fiet, qui rem sincero ac maturo judicio æstimabit. Si quod animæ & corporis daretur vinculum, sanguis profectò. quandiu eundo, redeundoque per arterias & venas accenditur: tandiu in suo illa retinetur hospitio. Verum ut primùm cum circuitu cæcus ille sanguinis ignis extinguitur, statim dissoluto quasi nexu aufugit anima frigidi atque emortui impatiens hospitii.

Ergo Vita Hominis à Sanguinis circuitu.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michaël de Hodencq, Chirurgiæ Professor.
M. Pontius Maurin.
M. Franciscus Maillard.
M. Ioannes Poisson.
M. Iacobus des Prez.
M. Renatus Chauvel.
M. Antonius le Moine.
M. Guydo Crescentius Fagon, Primarius Reginæ Francorum, dum viveret, Medicus.
M. Iacobus de Bourges.

Proponebat Lutetiæ LUDOVICUS DE VAUX, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1689.